



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

244. Ut laici Ecclesias non teneant, nec decimas accipiant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

Ut laici Ecclesias non teneant nec decimas accipiant. *Ex Concilio [Meldensi] cap. LXV.*

Concil. Meld.

e. 75.

CCXLIV. Indignum valde est ut qui in regia dignitate ceteros Ecclesiæ filios auctore Deo præcellitis, negligentius quæ Dei sunt exequi videamini. Unde dignum orat ut capellas villarum vestrarum laicis non committeretis, sed potius illis qui & eadem sacrata loca religiosius tractarent & vobis debitum obsequium impenderent. Monemus itaque & hortamur, ne, quod absit, periculum anathematis ex decimis præsumptis incurratis, ut hoc corrigere studeatis.

De eadem re. Ex eodem capitulo.

Concil. Meld.

ibid.

CCXLV. Si capellas vestras Presbyteris aut viris ecclesiasticis dederitis, & dominicas decimas acceperint, facta tecta Ecclesiæ & luminaria exinde competenter provideant, & Presbyteri parochianas decimas accipiant, & populi necessitatibus debite invigilent.

De eadem re. Ex eodem.

Concil. Meld.

ibid.

CCXLVI. Si autem laici capellas vestras habuerint, à ratione & ab auctoritate alienum habetur ut ipsi decimas accipiant & inde canes aut genitárias suas pascant. Sed potius Presbyteri Ecclesiarum eas accipiant, & inde restorationem Ecclesiarum & luminaria & hospitum ac pauperum receptionem exhibeant, & pro vobis ac statu regni vestri Dei misericordiam studiosè implorent.